



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quid sit regnum Dei. tit. 242

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Philip. 3. Nostra conuersatio est in cælis, vnde etiam expectamus &c.

Secundò, in regno terreno sunt omnes æqualiter, Iudæi, infideles, & Christiani ac fideles. Aequaliter vtuntur sole & pluuia, ac elementis mundi. Matt. 6. At in hoc regno cælesti solùm sunt fideles. Idèò Ecclesia, i. congregatio fidelium, est regnum cæleste, in quo solùm fideles vtuntur beneficijs Christi, illi reguntur virtutibus, id est, fide, spe, dilectione, timore, &c. à Deo. Per has virtutes nos obedimus Deo, & hoc regnum etiam nobis aduenire petimus, Matt. 7. vt Deus his motibus nos regat, defendat, conseruet, augmetur contra motus carnis, quos sathan excitat.

Tertio, in hoc regno sunt boni & mali fideles, sicut Mat. 13. inquit Christus, comparans Ecclesiam saginæ, quæ continet pisces bonos & malos. & decem virginibus, Matth. 25. vbi sunt quinque prudentes, & quinque fatuæ, semem bonum & zizania &c. Nam licet Euangelium omnibus in Ecclesia denuncietur, non tamen ex æquo fructificat in omnibus: Sed vix quarta pars terræ bona est, Luce 8. Erit igitur talis mixtura in regno Dei, id est, ecclesia, sed in nouissimo die purgabuntur & separabuntur veri à malis piscibus, Ad hoc ergò regnum Dei solùm pertinent fideles, non Iudæi aut Gentes. Est igitur regnum Dei, quia diuitiæ & thesauri Dei in eo distribuuntur.

QUID SIT REGNUM DEI.
TITVLVS CCXLII.

Sciendum porrò, quòd regnum Dei est æterna requies, æterna pax, æternū gaudium, æterna dulcedo, æterna vita, sicut dicit, Esai. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tentorijs pacificis, & in abundanti requie, & hoc eternaliter. Et Paulus 1. Corinth. 2. scriptum est inquit, Esaiæ. 64. quòd

MMm 3 ocu.

oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus illum. Nobis autem reuelavit Deus per spiritum suum, scilicet, quòd regnum Dei est æternum gaudium & dulcedo.

Secundò, De illo regno dicit Gregorius homil. 37. Si consideremus fratres quæ & quanta sint quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Præsens enim vita quid est, nisi quotidianus defectus & detentio mortis? Nulla ergò lingua dicere poterit, quãtum sit gaudium, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus præsentem vultum Dei cernere, nullo metu mortis affici & cœt. Sed hæc audiens animus cupit illis affluere, ubi possit sine fine gaudere: sed ad magna præmia perueniri non potest nisi per magnos labores. Sic egregius prædicator Paulus dicit 2. Timot. 2. Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Est ergò regnum Dei æterna dulcedo.

Tertiò, hæc beatitudo & regnum Dei iam est ætatum, & in sola fide videmus hoc: sed in tempore ultimo, inquit Petrus, 1. Petr. 1. reuelabitur, & tunc videbimus & gustabimus sicuti est. Iam videmus per speculum & in ænigmate, 1. Corinth. 13. & 1. Ioann. 3. Nunc charissimi filij Dei sumus & nondum apparuit quid erimus. Scimus, quoniã cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Oportet hic, inquit Petrus, ad breue tempus tristes esse & tribulationes pati, sed hæreditas nostra iam est reposita in cælo, & nemo tollet eã à nobis. Ideo esse debemus in tribulatione paciẽtes, Rom. 8. Non sunt cõdigæ & c.

Quartò, hæc vita æterna & regnum Dei hic incipit, id est, cognitio Dei, & filij sui Domini nostri per fidem & dilectionem, sicuti Christus Ioann. 17. dicit. Hæc est vita æterna, ut te Deum patrem, & quem misisti filium tuum pro vero Deo agnoscant. Sic Gal. 2. dicit

2. dicit Apostolus: Viuo ego, sed iam non ego, sed viuit in me Christus. Et iterum: In fide viuo filij Dei. Sic charitas, pax, castitas, & cæt. incipiunt hic, & durabunt æternaliter, 1. Cor. 13. Maior charitas. Tamen sicarni & rationi humanæ nõ apparet, quod Deus daturus sit æterna gaudia, quando hic suos fideles permittit tribulari, attamen Deus, sicut fornax aurum probat, sic fidem nostram ipse probat, & sic purgat in præfenti, vt apti inueniamur ad ingressum cæli, & c.

REGNUM CHRISTI QUALE SIT.

TITVLVS CCXLIII.

P R I M ò regnum Christi nihil aliud est, nisi potestas & victoria supra sathanã, peccatum, & mortẽ. Hæc enim omnia vicit Christus sua morte, & prostrauit sub pedibus suis, Philipp. 2. In nomine suo omne genuflectetur, quia dedit illi nomen supra omne nomen. De hoc regno, victoria & potestate locutus est post resurrectionem suam Christus discipulis per dies quadraginta, Actorũ. 1. Et committit hoc prædicare in vniuerso mundo, Marc. vltm. vt omnes credentes in eum, sciant talem regem supra hæc spiritalia, id est, peccatum, mortem sathanam, & cæt. sicut etiam ipsemet dicit Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vici mundum, id est, peccatum, mortem, sathanam, quæ in mundo sunt. De hoc Apostolus gratias agit. 1. Cor. 15. quod nobis contulit etiam hanc victoriam, & c. qui in eius regno sumus.

Secundò, in hoc Christi regno sunt, qui habent fidem, dilectionem, timorem, continentiam, omnes fructus spiritus sancti, Galat. 5. Et secundum illos viuunt, illis motibus virtutum. Christus habitat in cordibus nostris, Ephes. 3. Deus det vobis secundum diuitias gloriæ suæ per spiritum eius corroborari,

M M m 4 per